


**05  
A  
1446**



NATALEM  
GYMNASII HAL-  
LENSIS

NONAGESIMVM SEPTIMVM


XVI. KAL. SEPTEMBR. ANNI

CID IC. LXII.  
CELEBRANDUM

INTIMAT

VALENTINVS BERGERUS  
RECTOR.

HALLIS SAXONUM,  
Literis OELSCHLEGELIANIS.



Ts i neminem fore spero, qui inficiari jure queat, nobilissimam morum disciplinam, quam Ethicam appellamus, ingenuæ & ipsi in particularium scholarum umbris agenti juventuti apprimè commendandā esse ob insignem, quam undiquaque magnā cum libertate præbet, utilitatem, quod vitiis non solum & pravis, quibus juventus admodum solet agitari, cupiditatibus resistere docet, continetque fontes & primas, ut Galius loquitur, demonstrationes juris atque legum, quibus vita civilis gubernatur, sed & illotis manibus pedibusque in Theologiæ sacrarium à sapientibus quibusvis existimatur irruere, qui ne vestigium quidem in novis & veteribus & moralibus, h. e. dogmaticis & exemplaribus Ethicorum hortulis posuit, eumque, qui orator est futurus, non Logicā duntaxat, sed & Ethicā cognitione imbutum esse oportet, quo virtutes vitiāq; nōrit, & perspectum habeat, quid homines ad spem, metum, iram concitet, ut ait Gerardus Joannes Vossius Instit. Orat. I. I. c. II. ad stipulante Crasso apud Ciceronem lib. I. de Orat. etsi neminem manifeste deprehendi, qui mihi superiori anno post præceptorum Ethicorum ac Politicorum explicationem Actu Oratorio solenni de Summi Boni Civilis doctrinā præclarissimā Gymnasii Natalem sub certis personarum habitibus cohonestanti improbaverit quicquam: etsi iterum simili nunc Actui de Vitiis ac Virtutibus Moralibus exhibeo auditores censoresque benevolos me habiturum confido; tamen vereor, ne somni quispiam & noctis filius lateat alicubi, qui livoris manifestā maculā decoloratus, nobilitatus facundiā caninā, querat, quo pacto laborem hunc non levibus ac vanis glorii

gloriolæ sumis, sed Deo & saluti juventutis unicè dicatum  
in scitâ verborum eructatione incessat ac fugillet. Qualem  
nuper experiri licuit, qui, cùm nihil deprehenderet, quo  
malè mihi ficeret, oblitus pudoris ac veritatis, dissertati-  
unculam de POENITENTIA juxta genus Didascalicum  
nunc ante triennium ferè à me conceptam, & discipulis no-  
stræ fidei concreditis ad calamum in lingua vernaculâ loco  
exercitorum stili publicorum per aliquot hebdomadas dicta-  
tam virulento ore, subsannationeque & mendaciis suffarci-  
nato imprudentissimè invasit, confisus fore, ut per hanc im-  
posturam omnis fama & existimatio, quam haberem apud  
bonos, vel deprimeretur prorsus, vel non parum evilesce-  
ret. Verba detractoris atque impostoris in Programmate  
actum Progymnasmatico-encomiasticum intimante hæc sunt:  
experientia non minus ac recta ratio persuasit, majus nobis inde  
sperari posse operæ premium, quam illis, qui vel laboris fugâ, vel  
suâ quadam arrogantiâ freti, de sacciperio suo scholastico quic-  
quid lubido jusserit, aut inscitia objecerit, vertendum sine discri-  
mine juventuti proponunt. More præposteri illius stili con-  
ditoris, qui ad fasces elevatus Rectorales, discipulis, quos tamen  
in ratione stili satis acceperebat subactos, ultra anni spatium  
è vidulo suo rancido aut Postillatore quodam obsoleto mate-  
riam Theologicam de POENITENTIA ejusque patribus, ad  
calamum dictabat, ita fore credens, ut egregia ex veteribus Clas-  
sicis Autoribus, quibus hæc materia probè nota & pertra-  
ctata fuit scilicet, stili ornamenta & præsidia petere, multumq;  
capere incrementi juvenes, ad talia dudum naufragandi, pos-  
sent. Quis vero cordatorum non videt, hisce incertis, imò nul-  
lis planè stili legibus, variaque dictionis & characteris for-  
mâ juventutem pessimè corrumpi, ut deinde Satirici verbo

Rancidulum quidam balbâ de nare loquatur

Passim & sectetur corvostestaque lutoq;

Me dissipatiunculam de POENITENTIA jux-  
ta genus Didascalicum ante triennium ferè discipulis in  
lingua vernaculâ ad calamum per hebdomadas aliquot pro  
stili Latialis emendatione publicitus dictâsse supra sum  
confessus, neque diffitebor unquam, certum habens nemini  
nem inter ipsos invidentissimos reperiri, à quo illa errati-

ali-



alicujus jure accusari queat, sive materiæ , sive dispositio-  
nis , sive elocutionis modus æstimetur. Constat ejus Con-  
firmatio argumentis petitis à causa efficiente principali, in-  
strumentalibus, formâ, fine , effectu, subjecto, adjunctis,  
tempore nimirum, loco & modo , partibus seu divisione,  
similibus, cognatis, contrariis. Exordium desumtum est  
à reipsâ, adjunctâ nimirum pœnitentiæ necessitate per Θέ-  
ον, αὐθιολογίαν & ἀνέγησιν juxta Ciceronis orationis ductâ.  
Constat & Epilogus suo πάρη. Quæ omnia, qui tum tempo-  
ris adfuerunt, & manibus exceperunt, testabuntur. Du-  
xit me primum omnium ad sanctum hunc conatum &  
quam Deo in cathedrâ homologeticâ exhibere volebam,  
debita pietas, & occasio temporis, quæ resipiscentem illum  
publicanum templis offerebat contemplandum, cuius ipso  
exemplo argumenta ferè omnia illustrabantur. Vitione  
verò mihi nunc vertatur, me materiam Theologicam in ver-  
naculâ linguâ discipulis Latino stili seu dicendi genere  
proposuisse exornandam? Materiâne Theologica, sincerae  
& orthodoxæ fidei conformis, è vidulo rancido sumatur?  
Sanctine fontes Israëlis, è quibus materiæ Theologicæ or-  
thodoxæ hauriuntur, viduli rancidi sint? Ecquid dicit  
homo? quid effundit è rancido suo vidulo, è sacciperio suo  
Scholaſtico, detractor nugivendus? Mentitur me ex Postil-  
latore dictâsse quicquam: ostendat mihi unum paragra-  
phum, qui in Postillatore aliquo conspiciatur. Mentitur  
me ultra anni spaciū dictâsse, vix me XII. hebdomadas di-  
ctando consumisse, testes provoco non exceptores dunta-  
xat omnes, sed & Clarissimum Collegam, cuius est per sin-  
gulas hebdomadas stili exercitamenta proposita elaborata-  
que mecum emendare. Vellem Dissertatiunculam conspi-  
ceret, pellegeret, pensicularet cordatorum quisque, & livi-  
di atque insipientis hominis graſſantem in me rabiem lon-  
gè manifestiorem fore crederem. Et heus tu qualis conse-  
quentia? Materia Theologica de POENITENTIA veteri-  
bus Classicis Auctoribus non fuit nota, nec pertractata: E.  
ex iisdem stili ornamenta & præsidia, quibus materia illa  
decoretur, juvenes petere non possunt. Tua est hæc conse-  
quentia ex supra dictis ultrò manans. Sed spectatum ad-  
missi

inissi risum teneatis amici! Consistit ne imitatio simul in  
eadem materiâ seu iisdem rebus, & earundem exscriptio-  
ne? aut non possimus veterum Classicorum Auctorum ve-  
stigia legere in materiâ, quæ ignota illis, nec pertractata  
fuit? In quam absurditatum voraginem hîc te spermolo-  
gum spectamus lâpsum? Nónne ipse B. Dietericus in Ora-  
toriâ suâ dispositiunculam orationis de POENITENTIA  
etiam in genere Didascalico exhibet? Nónne facundissimi  
*Mureti*, cujus scripta Venerem pariter cum Mûsis inhabi-  
tare doctissimus arbitratur quisque, orationem de *Mysterio*  
& *Festo Circumcisionis Dominice*, nónne aliorum nostri seculi  
disertissimorum Oratorum de aliis rebus Theologicis  
typis excusæ extant orationes? Et quid per tot annos tot  
materias Theologicas & elaborandas & publicitus recitan-  
das discipulis proposuisti tuis ipse, si eas veterum Classicorum  
auctorum ornamentis non posse expoliri, si, ut porrò  
è vidulo tuo rancido evomis, incertis, si nullis planè stili le-  
gibus, si variæ dictionis & characteris formæ materi-  
am Theologicam expositam esse, si hinc juventutem pessi-  
mè corrumpi intellexisti? Quo ipso euidem quid absurdius  
dici queat, ignoro. Unâne enim eademque Materia  
Theologica variâ ac diversâ dictionis & chara-  
cteris formâ, non uno eodemque semper charactere seu  
genere dicendi queat exornari? Dicine inter Theo-  
logos nemo eloquens potest? Eorumne nemo & sub-  
tilia humiliter, & magna graviter, & mediocria  
temperatè dicere valeat? Quorsum Zoile tuus se ex  
circo rapit intellectus? quò cogitas? Forsaneò, ubi  
imitationem non in sermonis ad sermonem veterum  
aptâ conformatioне duntaxat, sed & exscriptione mate-  
riæ seu rerum consistere fatis probes. Sed quid proba-  
re amplius labores? cùm idipsum tuo, quo in mœs debacchatus, programmate lúculentissimè monstrâsti, in quo  
Magni illius Dilherri, Theologi ac Philologi famigeratissimi,  
*Manuductionem ad rationem bonos quosque auctores recte*  
& *cum fructu imitandi Jenæ Anno circ 100 xxxvi.* ad  
calamum publicitus dictatam adeòes imitatus, ut non tu-  
um sermonem duntaxat ad ejus sermonem conformaveris.  
sed

sed & res ipsas cum verborum venustate magnam partem  
affabre exscriperis , adeò ut, si tanquam aves peregrinæ  
programma tuum relinquerent, vel ipsa *Manuductio* defuis-  
ser, pauca ei superfutura forent. Sed vide , ne, quod Ma-  
gni *Dilherri* jussu discipulis tuis interdicere te oportet, in  
tui ipsi⁹ dedecus redundet. Sic enim laudatissimus Vir ille,  
& *Præceptor* olim meus omni cultu æratem observand⁹, c.l.  
c.ii. de modis seu requisitis parandæ eloquentiae, §. 9. Unde, in-  
quit , perniciöfissima quorundam pædotribarum consuetudo per-  
spicitur , qui pusionibus suis nondum præceptis Rhetoricae imbui-  
sis, nedum vel perfunctoriâ rerum scientiâ instructis , orationes  
imponunt scribendas : qui miselli postmodum ad Polyantheas &  
alia inscitiæ præsidia configiunt , inconcinnum inde centonem  
consuunt magno hiatus ab se recitandum & formatori ineptis-  
simo patulis auribus imbibendum. Tu non ad Polyantheam, sed  
ad *Dilherri* dictata cōfugisti, quæsivisti illic inscitiæ tux pre-  
sidia, nec inconcinnū aut indecorum, sed concinnū consui-  
sti centonem. Quâ in parte tu equidem pusionibus tuis  
felicior es existimandus, appellandus verò præpostere imita-  
tionis artifex,, qui me præposterum stili conditorem appellase  
quo jure , aut quâ causâ , me latet , tibi cavillatio-  
num tuarum genuino interpreti soli notum. Addidisti  
insuper exscriptis tuis hoc splendidissimi artificii genus, ut  
auctoribus è *Manuductione* de promtis adhibueris varios nō  
minoris auctoritatis cum priscos, tum recentiores *Encomi-  
astas*, quos omnes atq; singulos ex *Tobie Magiri Eponymologio*  
*Critico* cum ipsis encomiis rapuisti, affixisti marginibus, scili-  
cet quò lictori variae abstrusæque lectionis vir videreris,  
colereris porrò instar Numinis, velut in ita pridem de  
re ipso his verbis prædicasti ad Magnum & Celeberrimi no-  
minis Virum exaratis: *Tranquillam, honoratam & beatam*  
*hic exigo vitam, & illustri Gymnasio huic, quod Antecessorum*  
*culpâ ad triarios ferè redierat, subinde novis accendentibus in-*  
*crementis, omnium hominum tantoperè animos mihi devinxi,*  
*ut sibi veluti Numen aliquod terrestre in publicam totius*  
*Marchionatûs salutem, me Rectore huc divinitus emissô,*  
*palam dicitent, & quicquid ex voto & desiderio esse meo animad-*  
*vertunt, certatim præsent luxentissime.* Cæterū Gymna-  
sij

si Hallensis fata infelica multi & docti & graves viri mecum  
jam mirantur. Hactenus ille ex Phariseo in Numen ter-  
restre transformatus: qui etsi, ut supra dixi, verendum  
mihi, ne Actum nostrum Oratorium de Vitiis ac Virtuti-  
bus Moralibus sub certis personarum habitibus in hono-  
rem Gymnasii nostri Natalis XCVII. repræsentandum  
plusquam Theoninis suis dentibus & coactâ loquacitate  
insequatur, rodat, obfuscet, tamen id ipsum partum curans,  
nec ignorans miseri tenebrionis præposterum ingenium,  
& inertiam extra alterius præscriptum & manuductionem  
ineptias, fucos, officias proferentem. quibus in facili  
aureus ille veritatis ramus in opacâ sylvâ delitescens qui-  
dem, sed fulgore suo clucescens tandem ostendi contrâ  
potest, fretus cordatorum quorumvis solidiori in judican-  
do dexteritate, jam nunc Actum eundem hunc in modum  
sisto. Primum Germania in arenam se recipiet prædicatu-  
ra incolarum suorum non auream, quâ Pacis aurea benefi-  
cio fuitur, felicitatem duntaxat, sed & vitam liberam ac  
dissolutam. Quam accedent Extrema illa Virtutum Mora-  
lium tam in excessu, quam defectu, quæ Vitia appellamus:  
quorum unumquodque gratias aget Germaniæ pro con-  
cessis sibi nunquam non apud incolas sedibus & habitacu-  
lis, se suumque in possidendis gubernandisque Germanis  
jactaturum felicitatem. Simul etiam unumquodque alte-  
rum vituperabit, recensurum ejus, quam mortalibus in-  
fert, perniciem, polliciturum Germaniæ porrò suam ser-  
viendi promptitudinem. Postquam sic *Vitia* ad generis De-  
monstrativi ductum declamaverint atque abierint, PAX  
prodibit in theatrum *Virtutes* secum ductura *Morales*, quas  
post recensitam indissolubilis, quæ sibi cum iisdem inter-  
cedat, necessitudinis ac societatis rationem, causamque  
convocationis adapertam, rogabit, ut consultent ac deli-  
berent secum, num amplius sibi in Germaniâ sit commo-  
randum, an verò discedendum iterum? Quibus ordine  
discordantibus inter se Angelus comparebit demum, man-  
datum è cœlo allaturus de ulteriori apud Germanos com-  
moratione, & ejusdem caussis. Atque sic *Virtutum Conci-  
lium* perorabit ad ductum Generis Deliberativi,

Repre-



*Repræsentabunt itaque*  
PROOEMIATURO JOHANNE WENGESELAO à Görsdorff/  
*Equite Lusato,*

*GERMANIA*  
HEINRICUS WILHELMUS Dürfeld/  
*Hallenfis Saxo,*

*VITIA MORALIA.*

PRODIGALITATEM GODOFREDUS Schneider  
*Hallenfis Saxo;*

AVARITIAM JOANNES GEORGIUS GRÜTZNERUS.  
*Plavia Variscus;*

LUXUM CHRISTOPHORUS SANDERUS  
*Hallenfis Saxo;*

SORDITIEM PAULUS JACOBUS WACHTLERUS  
*Jütrrobocensis-Saxo;*

AUDACIAM LAURENTIUS WILHELMUS Rüchmeister  
*Hallenfis-Saxo;*

METUM JOACHIMUS SELLIUS Parck-  
*mo-Megapolitanus;*

INTEMPERANTIAM JOANNES Richter Hall-  
*lensis Saxo;*

STUPIDITATEM CHRISTIANUS Braunschweig  
*Falcoburgensis Neo-Marchicus;*

SUPERBIAM JOANNES GEORGIUS SIMON  
*Hallenfis-Saxo;*

PUSILLANIMITATEM GEORGIUS Freytag  
*Hallenfis Saxo;*

AMBITIONEM CHRISTIANUS HEINRICUS Ellenberger  
*Hallenfis Saxo;*

AΦΙΑΟΤΙΜIAN JOANNES Graube Meldorfico-  
*Ditmarsus;*

IRACUNDIAM GÜNTHERUS Heller Hallensis  
*Saxo;*

LENITATEM JOANNES WILHELMUS BOHEMUS  
*Chemnitio Misnicus;*

Ad u-

ADULATIONEM JOHANNES CHRISTOPHORUS RE-  
PENTINUS *Loriz. Megap.*  
MOROSITATEM VALENTINUS MOLTER  
*Göstenizio- Misnicus;*  
ARROGANTIAM SEU SIMULATIONEM FRIDERICUS SA-  
MUEL *Neuman* | Perlemontanus- *Marchicus*;  
DISSIMULATIONEM JOHANNES Hahn *Hal-*  
*lensis Saxe;*  
SCURRILITATEM GODOFREDUS Gerber *Lau-*  
*ba-Lusatus;*  
RUSTICITATEM MARTINUS *Jinsch Lencope-*  
*traus-Misnicus;*  
INJUSTITIAM HEINRICUS Schilde *Minda-*  
*Westphalus;*  
INCONTINENTIAM JOHANNES Thöne *Eimbec-*  
*censis Saxe;*  
NIMIAM AFFECTUM VOLUPTATUMQUE FUGAM  
CHRISTOPHORUS Richter *VVormstadio-*  
*Thuringus;*  
PERTINACIAM JOHANNES CHRISTOPHORVS BLEY-  
MÜLLERUS *Aurobachio-Variscus*;  
MOLLITIEM CHRISTIANUS Engelbrecht *Fran-*  
*cohsä-Thuringus;*  
FERITATEM SIVE BESTIALITATEM ELIAS Haber  
*Sverino-Polonus;*  
SUMMAM IGNAVIAM GEORGIUS CALOVIUS  
*Regismontanus- Marchicus:*

PACE M  
ABRAHAMUS Mosdorff *Ciza-Misnicus*;

VIRTUTES MORALES,  
LIBERALITATEM CHRISTOPHORUS à GÖRNE  
*Eques Marchicus, abitum in Germania disvasurus;*  
MAGNIFICENTIAM LUCAS WALTERUS *Damensis*  
*Pomeranus, suas.*  
FORTITUDINEM CHRISTIANVS WILDVOGELIVS  
*Hattenfels Saxe, suas.*

B

TEM-

TEMPERANTIAM VALENTINVS Weltheim Hallensis  
Saxo, dissuas.

MAGNANIMITATEM ALBERTVS THEODOSIVS Schridel  
Isenaco-Thuringus, suas.

MODESTIAM CAROLVS ANDREAS Kraut  
Hallensis-Saxo, dissuas.

MANSVETUDINEM CHRISTIANVS FRIDERICVS  
REICHHELMVS Hallensis Saxo, dissuas.

COMITATEM JOHANNES FRIDERICVS Stu<sup>king</sup>  
Hallensis-Saxo, suas.

VERACITATEM CASPARVS Hoffmann Gortenzio-  
Mansfeldicus, dissuas.

URBANITATEM CHRISTOPHORVS Haberforn  
Camitz. Lusatus, dissuas.

JUSTITIAM CHRISTIANVS BICCIUS Lipsi-  
ensis-Misnicius, suas.

CONTINENTIAM LDOVICVS à GÖRNE.  
Eques Marchicus, dissuas.

TOLERANTIAM GODOFREDVS Schrader Hallensis-  
Saxo, suas.

VIRTUTEM HEROICAM WERNERVS à GÖRNE.  
Eques Marchicus, suas.

ANGELUM JÓACHIMVS ANDREAS Dürfeld  
Hallensis - Saxo.

*Colophonem Declamationibus singulis addet*  
**CONRADVS Schönwolff Martisburgensis Saxo.**

Atque hi sunt è vexillo nostro , qui sub jam ordine  
commemoratis habitibus commemorato modo Gymna-  
ssi NATALEM XCVII. cohonestabunt, Latino dicendi  
genere soluto peroraturi omnes, exceptis duobus illis, qui  
Germaniae atque Angeli personas sustinebunt , Carmine  
Heroico Latino declamaturi. Quos ut Gymnasi Nostri  
PATRONI & EVERGETÆ, Doctique omnes, per bidui  
aliquot horas pomeridianas honorificentissimâ sua præ-  
sentiâ & auscultatione benevolâ dignentur, ma-  
jorem in modum obtestamur.



05 A 1446




K017 6d.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-559425-p0014-4

DFG



# Farbkkarte #13